DE
HYSTERIA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PATHOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE I. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXXV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS FRIDERICUS HELMUTH

POSNANIENSIS.

OPPONENTIBUS:

C. TROSCHEL, PHIL. DR.
C. SCHLECHT, MED. ET CHIR. CAND.
E. ANTZ, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO, CARISSIMO,

CAROLO HELMUTH,

CONSILIARIO IUDICII PROVINCIALIS POSNANIENSIS,

NEC NON

FRATRI

AMATISSIMO, CARISSIMO,

ADOLPHO HELMUTH,

MERCATORI,

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

— Veniet tempus, quo ista, quae nunc latent, in lucem dies extrahat.

Saneca Lib. VII. c. 25.

Quodsi totius vitae humanae ambitus ne sufficit quidem medico, ut ullius possit accuratius perscrutari morbi species, modificationes et directiones omnes; annus eo celerius, temporis spatium, quo nobis aegrotorum observandorum occasionem praebebatur, in praxeos medicae coelo transvolare debet, neque minus arrogantes videamur, nos, qui Aesculapii aedes sacras pedibus vix tetigerimus, in eo versari, quod de aliquo mysteriorum ejus gravissimorum sententiam feramus. Attamen initium faciendum, quare cuique ad summos medicinae honores contendenti dissertatio inauguralis medico-pathologica delegatur, atque hic ipse, non solum se experientias medicorum celeberrimorum in intimo habere animo demonstrare, sed etiam proprias cupit

sententias enarrare. Quibus rebus commoti ad materiam, cujus disquisitio non tam in experientia ad aegrotorum lectos acquisita, quam in studio theoretico niteretur, ex amplo scientiae medicae campo attingendam aptiores videbamur; ac nonnullis insuper hysteriae casibus memorabilissimis inter clinicas exercitationes oculis nostris a fortuna oblatis, de hoc ipso morbo dissertationem concipere incitabamur. In qua autem tantum abest, ut novam hysteriae theoriam arrogantes medicis offerre conemur, ut potius arbitria et judicia ab auctoribus illustrissimis doctissimisque de hac re prolata collegerimus, ex comparando dijudicatis argumenta generalia excerpserimus, denique, sed perpaucas tantum proprias opiniones edicere ausi simus maxime sperantes fore, ut existimatores benevoli consilium nostrum hoc in opusculo, ad quod efficiendum tam exiguae ingenii vires praesto nobis sint, non falso credant et vituperent, sed animum nostrum pertinacem studiorum his in primitiis benigne agnoscant.

I. NOSOLOGIA.

Primum in morbi descriptione pathologica et therapeutica causa proxima ejusque natura strictius enucleandae nobis videntur, quae jam firmiter constitutae, atque omnino dilucide illustratae non solum symptomata causasque morbi remotas facilius interpretari docent, sed etiam diagnosin ac therapiam ex iis profluentes magna cum fide indicare permittunt. Itàque hic quoque, quid sit hysteria, quo nomine (1) ab omnibus fere medicis, saltem recentioribus idem intelligitur morbus, tentemus demonstrare.

Etsi de hac materia maximae praecipue antiquioribus aetatibus agebantur controversiae, et medici in duas potissimum partes, quarum altera hysteriam cum materia, altera sine materia proponebant, segungebantur; tamen inprimis novissimo tempore

---

(1) C. G. Carus: adscensum uteri — Van Helmont: asthma uterinum eam vocanr. Apud alios auctores mali hysterici, hysterismi, passionis hystericae nomina audit.

medici scriptores celeberrimi in eo fere consentiunt, ut nervorum systema hysteriae ducant fundamentum. Causa autem, cur tam diversa ferebantur de hac re judicia, optime, ut nos quidem putamus, ex sequentibus eminet momentis:

1) E directione varia, ad quam in seculorum decursu vergebat ars medica universa.

2) Ex errore a multis commisso, quum morbi causas proximas ita dictas ac remotas, non raro in morbis, praecipue in hysteria, se invicem tam procreantes, quam augentes, minus stricte distinguerent.

3) Ex mali ipsius, si cum viro doctissimo Schoenlein loqui volumus, symptomatibus Proteo mutabilioribus (1).

4) E complicationibus denique discrepantissimis, quibus cum aliis morbis hysteria conjungitur.

Ad primam supra allatam medicorum partem, qui in corporis humoribus lentis, spissis, degeneratis indolem viderunt hysteriae, complures referendi sunt auctorum antiquorum, recentiorum autem pauci, fortasse unicus Dr. Herrmann Schnaubert Eisenbergensis (2), ita, ut magna cum pertinacia omnium fere aequalium suorum arbitrium oppugnet, ac sic

---

(1) J. L. Schoenlein: Allgemeine und specielle Pathologie und Therapie. 2. Auflage. Würzburg 1832. Th. IV. p. 142.

(2) Herrmann Schnaubert: Beitrag zur Erkenntniss des Wesens der Hypochondrie und Hysterie. Eisenberg 1827.

itidem in illum errorem, quo causam efficientem, aut vitium morbo demum procreatum pro causa proxima ipsa sumat, delapsus est. Ad secundam partem nonulli scriptores prioris aetatis, et maxima pars praesentis pertinent, quorum: William Cullen, Frid. Jahn, August. Ferdinand. Wolff, Eliam de Siebold, Ch. L. Mursinna, Mason Good, C. August. Carus, F. B. Osiander, J. L. Schoenlein, Georg. Kieser nominari sufficiat. Nos plane cum iis consentimus, atque in opinione nostra morbi quoque casu memorabili confirmati sumus, ubi hysteriae symptomata omnium specierum et integritate clarissima adparuerunt, sine turbatione notabili systematis sanguiferi, et organorum reproductionis postea demum in mali decursu accedente, ac ubi nervina pura, si hoc verbo uti liceat, excellentissimum prae se ferebant effectum, optimoque gaudebant successu.

Quamvis autem tam largam auctoritatem judicio nostro jam habeamus, tamen, antequam pro vero proponendi ejus, et pro tali diligentius explicandi veniam nobis petamus, necesse est, ut thesin viri doctissimi Schnaubert, atque affirmantium ipsam, omnino fere defossam, huc et illuc tantum germinantem, sed ex eo nullo modo jam falsam argumentis idoneis ac sufficientibus devincamus. Ponamus igitur causam proximam hysteriae humores lentas, spissas, degeneratas esse in organismo, in-

terrogandum deinde nobis erit, quibus rebus illa morbi causa generatim innotescat, ac per commutationes materiarum et functionum corporis, quae symptomata vocari solent, eam intelligi respondendum. Porro quaeramus, quae symptomata sint hysteriae primaria, ad quod ipse dicit (1) vir doctissimus Schnaubert, spasmis, convulsionibus, idiosyncrasiis maxime affectas esse hystericas, quae profecto non tam degenerationem humorum, quam turbationem systematis nervorum indicant. Praeterea haec symptomata non solum subito altera in altera transsultant, sed non minus velociter nascuntur atque evanescunt, momenta iterum magis, nisi fallamur, ad nervorum mala, quibus ejusmodi symptomatum mobilitas propria est, quam ad vegetationis vitia pertinentia. Denique aetas, temperamentum et constitutio, quae hysteriae opportunissima sunt, nequaquam in infarctis eam, sed in efficacia nervorum conversa radices agere satis nobis persuadent.

Sub praesidio igitur gynaecologorum peritissimorum, naturaeque legibus innitentes causam hysteriae proximam in nervorum atque inprimis quidem gangliorum systemate sedere, uti rem disceptatam, pronuntiare sententiam audemus, et in subtiliorem ejus, quantum licet, expositionem transimus.

---

(1) Dr. Herrmann Schnaubert. l. c. p. 55.

Quomodo certe hoc respectu ex altera parte, qui nervorum vitia generatim, in feminis existentia, hysteriam vocet (1), ita non minus ex altera parte, qui plexus gastricos maxime affectos credat (2), aut singula organa ex hysteria laborantia pro singulis mali speciebus recipiat (3), excedere modum nobis videtur. Nos vero in eo cum medicis doctissimis convenimus, ut gangliorum systema ramificatione sua universa solum morbo praebeat (4), qui porro e discrepantia inter ganglia et cerebrum cum peculiari modo aucta maxime illorum irritabilitate originem trahat (5); atque denuo symptomata morbi, gangliis ramisque eorum discordibus, aut singulis praevalentibus, modo hoc, modo illo in organo, cui ganglia praesint, mulierum autem praecipue in genitalibus, hic tam late extensis, et maximam vim in organismum totum exercentibns efful-

---

(1) Aug. Ferdinand Wolff: Ueber die Nervenübel. Berlin 1804. p. 5.

Robert Whytt: Sämmtliche zur praktischen Arzneikunde gehörige Schriften — aus dem Englischen. Leipzig 1771. p. 238.

(2) Elias v. Siebold: Erkenntniss u. Heilung der Frauenzimmerkrankheiten. Frankfurt a. M. 1811. Th. I. p. 325.

(3) I. L. Schoenlein: l. c. Th. IV. p. 143 et seq.

(4) J. C. Mende: Krankheiten der Weiber. Th. I. p. 297. — Chambon de Montaux: Des Maladies des Filles. T. I. p. 121.

(5) C. G. Carus: Lehrbuch der Gynaekologie. 2. Aufl. Leipzig 1828. Th. I. p. 235.

Friedr. Jahn: Klinik der chronischen Krankheiten. Arnstadt 1815. Th. I. p. 802.

geant. Qualis tamen degeneratio illa gangliorum sit, specialiter explicare omnino nequimus, itaque, si jam de aucta eorum irritabilitate supra diximus, addere tantum nobis, hanc irritabilitatem ex iniqua, extra normam tendente sympathici nervi evolutione evadere, permissum sit; quare enim vir doctissimus Kieser (1), morbum organorum et systematum formatione unica in humiliori gradu permanente aut retrogrediente constare contendens, hysteriam non pro morbo ipso, sed pro dispositione ad morbum crescente interpretatur. Minus apte sane, ut nobis saltem videtur, opportunitatem illam, quae existere nequit, quin cerebrum et plexum solarem discordia reddat, et organismi sic aegritudinem efficiat, malum ipsum potius vocandum esse credentibus. —

Plura de hac edicere materia praesens vetat scientiae status medicinalis, attamen, antequam hoc capitulum finiamus, et in secundum transeamus, id, quod postea accuratius illustrabimus, constitutionem mulierum universam irritabilitati auctae peculiarem imprimere imaginem, qua hysteria integra exoritur ita, ut fere apud feminas solummodo reperiatur, nunc tantum memoremus. —

II. SYMPTOMATA MORBI.

Jam autem, quum hysteriae indoles et natura

---

(1) D. G. Kieser: System der Medizin. Halle 1817. Th. I. Kap. 11.

constitutae sint, symptomata facilius ex iis prodeuntia illustrare, atque essentialia, i. e. ex causa proxima profluentia, ab accidentalibus, aliis morbis aut secundariis, aut simul cum hysteria attamen sine nexu cum ea decurrentibus, aut tandem ipsis causis remotis, corpus infestantibus procreatis accuratius distinguere possumus. Essentialibus igitur symptomatibus omnes, quae systematis et gangliorum et nervorum reliquorum auctam irritabilitatem praesentem nobis affirmant, organismi mutationes adnumerandae sunt:

1. Spasmi et dolores modo hoc modo illud organum, aut multa simul occupantes:

a) In genitalium systemate plerumque dolor trahens, ligamentorum uteri teretium et latorum directionem sequens, regionem usque ad sacram sese extendens; praeterea coëundi appetentia vel aucta vel minuta, animi mollities inter coitum, atque ex ea facta relaxatio permagna post coitum (1); peculiaris doloris sensus in menstruorum initio; constrictio denique spasmodica circa uterum, qui quasi in altum cum vehementia trahi videtur mulieribus, globus ita dictus a medicis hystericus, tanquam symptomata gravissima, quae etiam fere nunquam deesse solent in hysteria, observantur.

b) Quod ad organa uropoëtica saepe dolorem

---

(1) Elias v. Siebold: l. c. Th. II. p. 163.

contrahentem, imo ardentem nonnunquam circa vesicam urinariam cum mingendi vehementi cupiditate, urinam tamen guttatim destillantem invenimus.

c) In chylopoëtico systemate gangliorum affectiones per constrictiones ac tormina, et intestinorum et ventriculi, minus lienis, raro hepatis, saepe in oesophagum adscendentia, sub attactu leniori increscentia, sub pressu autem profundiori non solum non aucta, sed etiam levata cognoscuntur.

d) Porro organa respiratoria partim a doloribus trahentibus et prementibus, partim ab angustiis atque asthmatibus, quae vero ad exiguum tantum tempus durantia, et quia aegra, siquidem respiratio paululum impedita sit, tamen, inprimis cum aliqua contentione, libere et profunde spiritum haurire potest (1), sicuti sine periculo brevique praetereuntia se manifestant, affecta percipimus. Quibus insuper singultus frequentes atque oscitationes non minus, quam risus, cachinnationes et fletus, nulla aut minima causa excitata, sunt addenda.

e) Caput dolores modo lancinantes, modo urgentes, modo torquentes, vel alterum latus universum, vel partem tantum exiguam praesertim supra arcum superciliarem, quorum hi clavus hystericus, illi hemirania vocantur, infestant.

f) In musculis voluntati hominis subjectis a

---

(1) J. L. Schoenlein l. c. Th. IV. p. 146.

tremore palpebrarum et pinnarum narium, a pandiculatione extremitatum usque ad convulsiones, distentionem surarum et ipsum tetanum spasmi intenduntur (1).

2. Irritabilitas sensuum aucta, hallucinationes atque idiosyncrasiae:

a) Visui permagna inest sensibilitas erga omnem lucem splendidam et colores candentes; simul aegrotae haud raro visionibus vexantur, phantasmatibus, photopsiis, scintillationibus atque aliis, ad quod etiam nonnulli auctores visum extremis digitis, scrobiculo cordis etc. adnumerandum contendunt (2).

b) Auditus aeque irritabilis est, quum non solum strepitu, sonis stridulis, sibilantibus ac serrantibus; sed etiam sermone clariori vehementer et ingrate jam afficitur, eodemque modo ac visus auditiones subjectivas sicuti susurrum, tinnitum sonosque singulares, qui plane non adsint, procreat.

c) Olfactui feminarum hystericarum nonnulli odores acres, praecipue suaves ingrati, alii, ceteris hominibus taedium creantes, grati, uti inter omnes fere constat, videntur; praeterea varios ille sentit odores peculiares sine ulla causa efficiente.

---

(1) Chambon de Montaux l. c. T. I. p. 128.

(2) F. B. Osiander: Ueber die Entwicklungskrankheiten in den Blüthenjahren des weiblichen Geschlechts. Tübing. 1820. Th. II. p. 304.

Geist des Herrn v. Leibnitz, aus d. Französ. Th. I. p. 70.

d) Quod ad gustatum, sicuti in statu naturali valde propinquus olfactui, ita etiam in alienationibus suis huic persimilis est; id nempe speciale habet, ut mulieribus alterius rei, saepe ultra omnes alimentorum fines sitae, cupiditatem, alterius ad cibum quadrantis fastidium excitet; quae porro aegrotae permultis saporibus subjectivis infestentur, et maximus earum cibi appetitus, si vix cibum ipsum gustaverint, plerumque jam sit sedatus (1).

e) Tactus denique, quamquam itidem omnes res externas, organismum appellentes maximopere sentit, magnamque copiam cum voluptatum, tum dolorum gignit, tamen multo uberiores sensus subjectivi reperiuntur, qui in quibusvis corporis partibus multiplici modo oriuntur, et ab hystericis quasi miri et inauditi multis verbis nobis describuntur atque explicantur. —

3. Somnus abnormis et somnia.

Somnus hystericarum ex regula levissimus est, quare sono lenissimo saepe jam suscitantur, inquietus insuper, non continens, ita, ut aegrotantes crebro quidem ad somnum inclinentur, sed breve tempus tantum dormiant. Qua etiam inquietudine magis magisque crescente semisomnes cubant mulieres, omnia fere circum eas peracta conspicientes, imo verba haud raro facientes. Quibus somnia vivida,

---

(1) G. Fr. Most: Encyclopaedie der medizinischen u. chirurgischen Praxis. Leipzig 1833, Th. I. p. 798.

celeriter variantia, tumultuosa, usque in ipsum somnambulismum intensa consociantur (1).

4. Aegrotationes animi.

Phantasia hic sine dubio praevalet, cogitationes feminarum hystericarum quemvis existentiae excedunt terminum, omnia aliter, quam re vera sint, animadvertunt, ac sentiunt; mentis exaltatione nonnunquam excandescunt, atque ideis tumidis sine tamen vigore et energia comprehenduntur. Praeterea magis minusve in iis animi mobilitatem, diffidentiam, astutiam, calliditatem, simulationem et fallaciam observamus (2).

Ad accidentalia symptomata, quae autem vitia organismi ex ipsa nervorum disharmonia sese evolventia nobis significant, eaque de causa ad morbi diagnosin et therapiam gravissimi sunt momenti, sequentia pertinent:

1. Vitia sanguificationis et circulationis.

Sanguis maxima ex parte nimis tenuis, rubens, pulsus parvus, frequens, irregularis, mutabilis; porro saepe palpitationes cordis brevi quiescentes; calor et frigus cito variantes; itidemque lipothymiae, syncope, asphyxia inveniuntur.

2. Vitia secretionis et excretionis.

Secretiones atque excretiones ex regula varia-

---

(1) C. G. Carus, l. c. Th. I. p. 230.

(2) G. Fr. Most, l. c. Th. I. p. 799.

biles, excretio alvi aut obstructa, aut resoluta, magna cum inclinatione ad aëris in intestinis formationem, ex qua inflationes, ructus et ipse vomitus nascuntur; urina plerumque limpida, haud raro turbida; menstrua copiosa, parca aut retenta reperiuntur.

Jam omnia haec symptomata, quae magis minusve unaquaque in hysteria occurrunt, attamen sive singula, sive plura simul conjuncta eminent; quae ceterum repentine cum vehementia existunt, celeriterque aut evanescunt, aut ab aliis et excipiuntur, et depelluntur, nostra saltem opinione nondum sufficiunt, ut feminam, in qua hujusmodi animadvertamus, hystericam vocemus; aut certe nullo modo jus nobis jam tribuunt signa ea hysteriae exquisitae, sed tantum incipientis habendi. Potius ad exquisitam necesse nobis videtur, ut symptomata supra relata non solum ex ordine certo, quasi morbi effigiem demonstrantia, componantur; sed etiam secundum typum aliquem periodice hac consociatione, cum vehementia majori, oculis nostris obveniant.

Hi paroxysmi sic dicti hysterici, rectius exacerbationes, quia nunquam omnia plane tolluntur mali symptomata, quamquam inter se valde discrepant, tamen sub norma aliqua redigi possunt, cujus brevi descriptione capitulum hoc concludamus. Hujusmodi igitur accessioni instanti plerumque prodromi complures sicuti moestitia, lassitudo corpo-

ris, convulsiones, sint exiguae, hallucinationes atque alii per horam, imo per diem antecedunt; quos gravitas, torpor, gelu extremitatum; spasmi leviores, scilicet oscitationes, pandiculationes, suspiria, risus, fletus, palpitatio cordis, inquietudo atque angor insequuntur, usque dum totus aegrotantium organismus a convulsionibus, cum conscientiae non perfecta repressione, corripitur (1). Sed aliis in casibus aliter quoque progredi solent exacerbationes, ita, ut systema chylopoëticum magis afficiatur, mulieres aut clavum hystericum, aut hemicraniam sentiant, nauseent, borborygmi ructusque exoriantur, ac per vomitum impetus finiatur, in quo cutis arida, pulsus parvus, duriusculus, frequens, post ipsum autem aegrotae languidae, valdeque afflictae observantur (2).

III. DIAGNOSIS HYSTERIAE.

Multi morbi hysteriae subsimiles primo tantum adspectu et negligentiori contemplatione permisceri cum ea possunt, quia similitudo tantum existit eorum et singulorum hysteriae symptomatum fortius effulgentium, aut exacerbationum, nullo modo autem hysteriae integrae; itaque facillime origine, processu et ipsorum symptomatum similium diffe-

---

(1) Goerget: Encyclopédie des sciences médicinales.

(2) G. Fr. Most, l. c. Th. I. p. 801.

rentia distinguuntur, scilicet: epilepsia, chorea Sti Viti, asthma, urinae difficultates, imo inflammationes e. g. carditis, quam cum hysteria confundi posse nonnulli auctores affirmant (1). Sed alii, praetermissis iis, supersunt morbi duo non solum periodis singulis, sed etiam omni suo decursu hysteriae prope accendentes, atque idcirco comparationem cum ea accuratiorem, et perscrutationem diligentiorem desiderantes: Hypochondriasis et Chlorosis, quorum haec non semper, nonnullis tamen formis (2) ei fit propinquior.

1. Quod ad malum hypochondriacum plures scriptores illud et hysteriam unum habent morbum, diversum tantum sexu virili ac muliebri, uti Sydenham, Tissot (3), Selle, Joerg (4), Carus; quorum judicium a vero quidem non abhorrere videtur, si negari non potest, ex altera parte utroque malo quod ad sedem, symptomata et decursum similitudinem permagnam inesse, ex altera parte differentias eorum ex aeque disjuncta organismi virilis et muliebris formatione interpretari (5) permissum esse. Quum autem, uti nos saltem pu-

---

(1) J. L. Schoenlein, l. c. Th. IV. p. 147.

(2) Lud. Choulant: Lehrbuch der Pathologie u. Therapie des Menschen. Leipzig 1834. p. 259.

(3) Tissot: Ueber die Nerven u. ihre Krankh. Leipz. 1781.

(4) J. C. G. Joerg: Handbuch der Krankheiten des menschlichen Weibes. Leipzig 1809. p. 586.

(5) C. G. Carus, l. c. Th. I. p. 237.

tamus, rem hanc dijudicare omnino non liceat, propter morbos hos diversos, integerrimos non in hominibus homogeneis, sed tantum heterogeneis occurrentes, itaque comparationi strictiori magis minusve se subducentes; in controversiam descendere nolimus, sed similitudinem et discrepantiam ex ordine inquiramus (1).

a. Similia:

1) Sedes utriusque mali praecipue in abdomine, et quidem gangliorum in systemate est.

2) Utrumque cum spasmis conjunctum.

3) In utroque mentis imaginandi et cogitandi facultas affecta.

4) Symptomata eorum singulatim, aut accumulate causis exiguis excitantur, aut adaugentur.

5) Tandem utrumque habet decursum diuturnum, non periculum vitae minatur, attamen difficillime sanatur, nisi in aetate provectiori speciem adsumat leniorem.

b. Discrimen utriusque (2).

1) Morbus hypochondriacus tantum in viris, hysteria in feminis fere reperitur.

2) Ab altero systema chylopoëticum, ab altera genitalium inprimis afficitur, quia in abdomine vi-

---

(1) William Cullen: Anfangsgründe der praktischen Arzneikunst, aus dem Engl. Th. III. p. 589 et seq. —

(2) Fr. Jahn. l. c. Th. I. p. 195.

rili illud, in muliebri hoc systema magis extensum est, et gravioris momenti.

3) In hypochondriacis anima altior, in hystericis humilior, si hoc verbo utar, maxime aegrotat.

4. Illorum corpus valde, horum minus laborat.

5. Exacerbationes mali hypochondriaci non tam insignes et validae, sed longinquae, hysteriae fortes sunt, cito tamen transeunt.

Haec brevissime allata, si probe notantur, facillime utrumque morbum diversae omnino esse farinae intelligendum puto.

2. Chlorosis porro talia nobis offert:

a. Hysteriae similia.

1. Unam et alteram in feminis praesertim observamus.

2. Praeterea fere semper menstruorum vitia in iis occurrunt.

3. Utrumque morbum spasmi varii, angor atque asthma comitantur.

4. Similia in iis existunt hallucinationes et idiosyncrasiae.

b. Attamen largiora et majora, quibus uterque morbus valde differt, sunt momenta.

1. Chlorosis ex regula in virginibus pubescentibus, hysteria non solum in his, sed etiam in feminis aetatis provectioris gignitur.

2. Altera colorem cutis albidum, subviridem,

altera candidum, rubore plerumque tenello mixtum nobis praebet.

3. Illius prostratio reproductionis saepe causa, hujus semper productum est.

4. Chlorosis denique brevi ac pubertate perfecta praeterire solet (1), hysteria e contrario tum non evanescit sed adaugetur.

IV. AETIOLOGIA.

1. Dispositio ad hysteriam in unico fere, uti jam dictum, sexu muliebri invenitur, cujus non modo nervorum systema universum sensibilius est, quare rebus externis corpus intrantibus facilius et fortius afficitur; celerius, vehementius, sed minus constanter reagit; permagnam igitur mobilitatem in lucem profert; sed etiam sympathicus nervus praecipue explicatus praevalet, itaque sensualitas summa in nervorum orbe viget; cujus posthac organismus totus tenerior, eoque modo vi irrumpenti minus resistens; muliebria insuper, permagni certe in hysteria momenti (2), latissima jam supra dicta extensione, et gravissima efficacia reperiuntur. Viros idcirco morbus talis aut rarissime, et quidem illos tantum, quorum constitutio femininae similis est,

---

(1) Kaltschmid: dissertatio: Vidua triginta annorum chlorosi laborans. Jenae 1752.

(2) C. G. Carus. l. c. Th. I. p. 234 et seq.

aggreditur (1), aut ipse, uti multis magis arrideat, organismo, tam diversis partibus gaudente, tamque vario modo aliter exculto in viro ita commutatus est, ut sub hypochondriae specie hic sese ostendat.

Quod autem ad secundam opinionem attinet, compluribus et recte quidem logomachia apparebit; si quis enim contendit hysteriam in viro, i. e. hypochondriam multis momentis conversam esse, eam scilicet organa alia afficere majoris vis in corpore virili, natura alia instructam esse, quia tota ratio hysteriae gignens indolem distincta sit in mulieribus atque in viris; nihil aliud profecto exprimit, quam omnino alium esse morbum (2). Sicuti igitur morbi similes e. g. testiculorum atque ovariorum eo iidem haberi nullo modo possunt, quoniam alterum sexus prioris organum alteri sequioris respondere videtur, ita non minus etiam hypochondriam et hysteriam morbum eundem vocari non est concedendum.

Dispositio, ad quam ex evagatione illa, quae nobis ignoscatur, denuo vertamus, in corpore muliebri existens per constitutionem etiam congenitam aut acquisitam, tenello habitu, crebra coloris in facie mutatione, sanguinis circulatione mobilissima et variabili, charactere instabilissimo, animi affectioni-

---

(1) Louyer Willermay: Traité des maladies nerveuses p. 60.

(2) Haase: Ueber bie Erkenntniss und Kur der chronischen Krankheiten. Th. II. p. 282.

bus mutabilissimis, sensu vividissimo ac sensibilitate permagna elucentem (1); atque haec iterum, si jam adsit, per nimiam matris indulgentiam, vitam desidem, libros libidinosos et musicam mollem ac dulcem majus majusque capit incrementum.

Dispositio praeterea haereditaria, a matre in filiam transiens, haud raro observatur (2), quae tamen res a priori non valde differt, saltem simul cum illa saepe occurrit.

Denique circa pubertatem summam accedit altitudinem, quo tempore quoque saepissime primas agit radices hysteria, atque circa cessantes menses aut dispositio denuo minuitur, aut morbus tamen hoc tempore exortus cum vehementia tanto majori ac pertinacia mulieres afficit.

2. Causae occasionales:

a. Omnia huc pertinent, quae destinationi muliebri adversantur, quare etiam virgines seniores, caelibes, et viduae juniores, nec non uxores, non concipientes, praesertim si vir impedimentum fuerit, hysteria laborantes invenimus.

b. Omnia porro, quae corpus debilitant, nervorum, inprimis gangliorum irritabilitatem augentia, e. g. coitus frequentior (3), graviditates crebriores, celeriter alia aliam subsequentes, lactationes diu-

---

(1) Elias v. Siebold. l. c. Th. I. p. 327.
(2) G. Fr. Most. l. c. Th. I. p. 803.
(3) Tissot. l. c.

turnae, onania; animi insuper affectiones deprimentes, quales sunt: amor infelix, non satisfactus, aemulatio etc. huc referantur.

c. Varii deinde morbi et vitia organismi ipsius, ex parte altera genitalium, vitia menstruationis, menses copiosiores et frequentiores, morbi uteri atque ovariorum; ex parte altera organorum aliorum, cordis, hepatis, lienis etc., quae tamen saepius hysteriae producta quam causae nobis videntur; aut saltem, si causae sint, magis per aliud valent, vitia ad a et b nominata gignentia et impellentia; siquidem e. g. morbos ovariorum conceptioni obstare negari non potest. Jam autem morbus memorandus nobis, qui, quum dispositio permagna adsit, nonnunquam omnia symptomata hysteriae propria evocat, cum causa tamen cessante simul plerumque evanescentia. Helminthiasis huc spectat, atque entozoorum praecipue taenia, in femina, uti morbi casus memorabilissimus nobis docuit, constitutione supra explicata praedita, affectus hystericos excitans praestantissimos ac vehementissimos[1], qui postea taenia medicamentis optimo successu adhibitis expulsa cito sublati sunt, feminamque in secunda valetudine reliquerunt.

d. Sunt tandem, qui exanthematibus chronicis, retrogradis hysteriam per metastasin exoriri contendunt.

---

(1) C. G. Carus, l. c. Th. I. p. 236.

V. DECURSUS ET EXITUS MORBI.

Hysteria dein altero aut altero modo, dispositione causisque occasionalibus accedentibus exorta morbus est diuturnus, organismo aegrotarum plane intextus; si circa pubertatem gignitur circa menses cessantes mitigatus, aut omnino terminatus; atque hoc in decursu exacerbationibus distinctus. Exacerbationes autem non solum in diversis mulieribus, aut in vario mali gradu, sed etiam in eadem femina modo leniores, modo fortiores; modo e reproductionis organis, modo ex nervorum orbe effulgentes; modo ab exiguis, modo a gravioribus rebus appellentibus excitatas, imo sponte natas observamus. Singulae jam descriptae subito tolluntur, aegrotantes post ipsas magnam sentiunt lassitudinem, ingens ex toto earum corpore erumpit sudor, larga descendit urina modo liquida, modo turbida; hallucinationes aliquae per tempus adhuc continuantur; etiam paralyses haud raro organorum nonnullorum, aut convulsiones partiales ex accessione relinquuntur. Attamen, quod ad morbum generatim, rarissime, rebus tantum externis fauste adjuvantibus; medico ad ultimum in incepta curatione, si apta sit, perseverante; aegrota in praeceptorum obedientia permanente; ac malo leviori gradu procedente sanatur. Exacerbationes tunc magis magisque rariores et debiliores fiunt, nonnisi gravioribus causis evocantur,

et tandem omnino desinunt. Itidem porro symptomata reliqua sensim ac singulatim evanescunt, et prorsus fere mulieres a malo liberantur, ita tamen, ut facile recidant in morbum, nisi diligentissimo vitae genere, rebusque supra indicatis faventibus id potuerint impedire. Multo frequentius autem ab hysteria per totam vitam homines vexantur, valde contenti, si malum non usque iu summum intenditur gradum, aut infelices afficit exitus, nunc accuratius nobis demonstrandos.

Quae igitur ex hysteria diuturniori, magis exculta originem trahunt corporis vitia, haec sunt:

1. Paralyses incompletae et musculorum, tam voluntatis arbitrio obnoxiorum, quam ei non subjectorum, et nervorum, praesertim sensuum.

2. Inflammationes chronicae organorum vehementissime infestatorum, maxime genitalium, rarius cordis atque aliorum, quae saepe induratione, intumescentia, hydrope, imo totius organi degeneratione absolvuntur (1).

3. Vitia digestionis, chylificationis et sanguificationis.

4. Praeterea affectiones, quae magis ex ipsis nervorum turbationibus nascuntur, sicuti aut nym-

(1) J. L. Schoenlein l. c. Th. IV. p. 155.

phomania, facilitas aboriendi, aut melancholia (1), mania et fatuitas (2).

5. Mors tandem ex altera parte inter exacerbationes imminet pectoris angustiis, congestionibus ad cerebrum, indeque orta apoplexia (3), ex altera parte febri sensim sensimque explicata.

VI. CADAVERUM SECTIO.

Parte pathologica hujus materia absoluta in therapeuticam transire nobis permitteretur, nisi de cadaverum quoque sectionibus, deque per eas inventis nonnulla adjicere idoneum et gratum nobis videretur; quae, etiamsi homini, jam defuncto, imo secato non prosunt, nos tamen de morbi sede atque indole certiores faciunt, quo fit, ut principia constituta observantes, inde securitate majori agendi instructi mulieribus multis tum vitae servandae diuturnioris, cum valetudinis magis minusve reddendae facultatem nobis afferunt. Sectiones autem, quodcunque nobis adducunt subsidium, quantumcunque idcirco res sunt necessariae; tamen non minus fallaces, captiosae, et difficiles apparent ita, ut a viris tantum ad secandum aptissimis, corporis humani structurae et texturae, physiologicae et pathologicae peritissimis, nullorum consiliorum et rerum

(1) Ludwig Choulant l. c. p. 726.
(2) Georget l. c.
(3) Rullier, encyclopédie des sciences médicinales.

secundariorum rationem habentibus, vitia primaria solummodo, gravissima, ad rem pertinentia accuratissime ac tranquillime intuentibus si perficiantur atque observentur, sincera et invicta nobis possint exhibere argumenta. Quam ob sectionum earumque dijudicationum difficultatem, perturbationem et mobilitatem, praecipue nervosis morbis consumptorum, permultis alea videbitur, si de sectione loqui volumus hominum hysteria mortuorum; quod quidem nullo modo auderemus, nisi, ut virorum illustrissimorum, virtutibus supra relatis praeditorum nonnulla de hac re comperissemus, nobis contigisset. Primo huc spectant vitia organorum sanguiferorum, chylopoëticorum, uropoëticorum et genitalium: ovaria indurata, amplificata, tumida, materiam serosam, subflavam, nigricantem, pinguem, caseo similem, terrenam etc. haud raro continentia; tubae uteri degeneratae; etiam hydrops pericardii, structurae cordis deformitates (1) etc., quae in prognosi indicanda, ac therapia constituenda maximi sunt momenti, quorum autem descriptionem latiorem atque accuratiorem opusculi hujus brevitas non permittit; ac quae ipsa secundum sententiam nostram saepius allatam non stricte pertinent ad rem, sed in organorum illorum morbis declarandis melius possunt explicari. Itaque cetera tractemus.

---

(1) G. F. Most l. c. Th. I. p. 802.

Secundo scilicet nervorum ipsorum anomaliae, et sympathici tumores (1), decoloratio, ejus ramorum aucta copia, consociationum cum nervis aliis multiplicatio (2); et medullae spinalis signa irritatae, color rubens (3), texturae vitia huc referenda (4).

VII. PROGNOSIS.

Prognosis, quod ad vitam, bona, quia hysteria ne in summo quidem fastigio per se homines necare solet, nisi, sit rarissime, inter exacerbationes apoplexia, extra eas complicationibus, aut morbis secundariis vitae periculum minatur. Quod tamen ad sanationem, mala est, longinquum enim per tempus, uti satis memoratum, in organismo haeret, difficillime eradicatur, facillime autem recrudescit. Jam exacerbationes singulae eo pejores, quo vehementiores, quo levioribus exoriuntur causis, praecipue si syncope, tetano imo asphyxia finiuntur. Symptomatum reliquorum hemicrania et cardialgia, corpori inimicissima, maxima vi in universum vitae

---

(1) Cruveilhier, anatomie pathologique. Paris 1828. Livraison I. Pl. 3.

(2) Lobstein, de nervi sympathici humani fabrica, usu et morbis. Parisiis 1823. p. 50 etc.

(3) Harlefs, Jahrbücher der Medizin u. Chirurgie. Nürnberg 1814. Th. II. p. 41.

(4) A. W. Otto: Lehrbuch der pathologischen Anatomie. Berlin 1830. Th. I. p. 451.

orbem irrumpunt. Ceterum prognosis secundum constitutionem aegrotantium, aetatem, siquidem hysteria, circa menses cessantes genita, summa cum pertinacia mulieres infestat, denique secundum conditiones externas variat.

VIII. THERAPIA.

Haec, sicuti in morbo unoquoque, hic etiam in duas maxime dividenda partes, quarum altera indicationes veras proponendas, altera ipsas aptissime explendas demonstrat.

Indicationum autem tres maximopere existunt:

1. Indicatio prophylactica. Scilicet morbus quam maxime praecavendus est.

2. Indicatio radicalis. Ipse nihilominus exortus aut plane delendus, aut, quodsi ut fiat minus contigisset, quin magis magisque 'explicetur prohibendus, aut saltem morbi secundarii amovendi sunt.

3. Indicatio palliativa. Tandem exacerbationes simul cum symptomatibus vehementioribus, vi majori corpus infestantibus, aut retinendae, aut, ut rariores lenioresque egrediantur, efficiendum.

De his tamen indicationibus satisfaciendis, cum a viris illustrissimis tam variis in locis, tam larga atque idonea scripta sunt, momenta tantum gravissima ad perficiendum opusculum proferre brevis-

sime, atque ad auctores lectores benevolos rejicere sufficiat.

Ad 1. Cura prophylactica. Puellam igitur animadvertentium, constitutione hysterica, si ita dicere liceat, instructam, eamque per mollem matris blanditiem atque indulgentiam, per filiae inclinationes praeternaturales constitutionem magis magisque evolutam observantium, nostrum est praescriptis diaeteticis, educatione apta suadenda, vitae ratione rei conveniente constituenda mali semina germinantia exstinguere. Cui, si obtemperatum fuerit, proderit, medicamenta autem, si suppeditaverimus, aut nihil efficient, aut plane nocebunt (1).

Ad 2. Cura radicalis. Attamen non tam felices, ut hysteriam, etiamsi omnem dederimus operam, emergentem impediremus, nullo modo animum jam amittamus, potius id summis viribus adpetamus, ut corpus aegrotans a morbo denuo liberemus, aut saltem malum progrediens retineamus, quia, si radices in organismo egerit firmiores, difficillime ab ope medica adiri potest ac plane exstirpari. Ad quod parficiendum copia innumerabilis medicamentorum proposita et adhibita est, cujus ad praestantissima (2) anodyna, antispasmodica, nervina, praecipue in dosibus minutis et satis longe frequentata;

---

(1) Aug. Ferd. Wolff, l. c. p. 101.

(2) Chambon de Montaux, — C. G. Carus. — Elias de Siebold l. c.

dein remedia roborantia, tonica, amara; porro fontes medicati (1), balneae, lavationes atque inunctiones corroborantes et sedantes; denique vis electrica (2), galvanismus (3) et magnetismus (4) adnumeranda sunt. Usum eorum et morbi casus varii, et scripta allata docent, ad magnetismum tantum adjiciamus, eum, siquidem generatim cum cautela, hic cum maxima adhibendum esse (5), nisi sensibilitatem summopere auctam, valde intendere adhuc, itaque detrimenta atrocissima afferre velimus (6). Denique non praetereamus vitae quoque rationem diaeteticam hysteriae curandae non solum necessariam, sed etiam praecipuam esse conditionem.

Ad. 3. Cura palliativa. Exacerbationes hic maxime respiciendae, quae, cum ex altera parte periculosiores, quam re vera sunt, appareant, ex altera vim criticam haud raro secum habeant, quam maxime expectative curandae sunt. Respiratio tamen angustissima facta, apparatus ad inhalationem,

---

(1) Kreysig: Ueber den Gebrauch der natürlichen und künstlichen Mineralwasser. Leipzig 1925.

(2) Tib. Cavallo: Versuch über die Theorie und Anwendung der medizinischen Elektrizität, aus dem Engl. Leipz. 1769.

(3) Fr. H. Martens: Vollständige Anweisung zur therapeutischen Anwendung des Galvanismus. Weissenfels 1803.

(4) C. A. F. Kluge: Versuch einer Darstellung des animalischen Magnetismus als Heilmittel. Berlin 1811.

(5) E. B. Osiander, l. c. Th. II. p. 222.

(6) Joh. Stieglitz: Ueber den thierischen Magnetismus. Hannover 1814. 12. Abschnitt.

quem Mudge (1) invenit adhibendus; hemicrania vehementissima, dolorificentissima, remedio ab Himly praescripto optime curanda. Tetanus, si causa respicitur medicamentis nervinotonicis; cardialgia, vomitus atque alia antispasmodicis et anodynis tollenda.

---

(7) F. B. Osiander, l. c. Th. II. p. 142.

VITA.

Ego, *Carolus Helmuth*, Posnaniensis, mense Novembri a. MDCCCXI, patre *Carolo*, matre *Henrietta*, e gente *Reissiger*, quos, Deo favente, adhuc superstites veneror, natus et confessioni evangelicae addictus sum. Primis literarum rudimentis imbutus Posnaniense Gymnasium, quod t. t. viris Ill. *Stoc* et *Jacob*, directoribus, florebat adii, et per annos tres et dimidium institutionibus praeceptorum humanissimorum usus sum, quorum viri Ill. *Stoc* et *Jacob*, directores, Prof. *Buchowski*, Prof. *Martin*, Prof. *Czwalina*, Prof. *Mueller*, Prof. *Wannowski* insigni benevolentia atque indulgentia morum et studiorum duces mihi fuerunt. Testimonio maturitatis munitus, artis medicae studio operam navaturus Berolini ab Ill. *Aug. Boeckh*, t. t. Rectore Magnifico die XIX. mens. Octobr. MDCCCXXXI. numero civium academicorum almae universitatis litterariae adscriptus, nomenque apud Ill. *Fr. Hufeland* t. t. ordinis medicorum] Decanum quam maxime spectabilem professus sum. Praelectionibus Ill.

hujus Universitatis Professorum de singulis universae medicinae doctrinis per quadriennium sequentibus interfui:

Beat. *Rudolphi*, de encyclopaedia et methodologia scientiae artisque medicae, de osteologia, de anatomia corporis humani universa, de anatomia organorum sensuum. In arte cadavera rite secandi Beat. *Rudolphi* et Ill. *Schlemm* mihi duces fuerunt; Cel. *Dove*, de physice; Ill. *Mitscherlich*, de chemia; Ill. *Link*, de botanice, de historia naturali, de pharmocologia, de toxicologia, Cel. *Michelet*, de logice et philosophiae encyclopaedia; Ill. *Lichtenstein*, de zoologia generali; Cel. *Hotho*, de Goethii vita et scriptis; Ill. *Mueller*, de physiologia hominis speciali et experimentali, de generationis physiologia, de anatomia pathologica; Ill. *Osann*, de materia medica, de doctrina fontium soteriorum; Cel. *Eck*, de pathologia et therapia generali et de semiotices elementis; Ill. *Rust*, de chirurgia generali et speciali, de morbis oculi humani, et de morbis syphiliticis; Ill. *Wagner*, de pathologia et therapia speciali, de medicina forensi; Ill. *Kluge*, de fascias imponendi arte, de doctrina ossium fractorum et luxatorum, de arte obstetricia theoretica et practica; Ill. *Juengken*, de morbis oculi humani; Ill. *Steffens*, de psychologia.

Exercitationibus clinicis interfui et medicis, et chirurgicis, et ophthalmiatricis, nec non obstetriciis: Ill. *Osann*, Nob. *de Graefe*, Ill. *Rust*, Ill. *Busch*, Ill. *Bartels*, Ill. *Kluge*.

Quibus omnibus praeceptoribus meis Illustrissimis, Celeberrimis, optime de me meritis maximas, quas habeo, ago gratias. Nunquam eorum memoriam tempus delere valebit.

Jam vero tentaminibus philosophico et medico, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi medicinae et chirurgiae honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Nervorum systema plurimorum morborum est sedes.

II.

Matris imaginatio ad foetus conformationem influit.

III.

Vermes intestinales ex generatione aequivoca oriuntur.

IV.

Tracheotomia in angina membranacea est rejicienda.